





210/53

57-100



SLUB

Wir führen Wissen.

<http://digital.slub-dresden.de/id448843889/2>



GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK

In
FUNERE INDICTIVO
VIRI

NOBILISSIMI,

DNI CHRISTIANI

FRIDERICI Scholzens

â Schollenstern/ Toparchæ

in Deutsch-Oßig /

INTER SUSPIRIA AC DESIDERIA,

post graves diuturni ac desperati morbi

dolores superatos,

ANNO clc lcc LXXIV.

D. XIV. Maji Horâ post

meridiem noctis II.

GORLICII BEATE DEFUNCTI,

quum post triduum Tumbæ hæreditariæ in

Deutsch-Oßig inferendum, decenti pom-

pâ ex Urbe efferretur,

ad

LUGUBREM TIBIÆ FUNEBRI FLATUM

Nenias canit,

ab

Augusti Gymnasii Gorlicensis

COLLEGIS

operâ Christophori Zipperi conductâ,

PRÆFICA.

DN 3046185



Ad

*Beatum Dn. Compatrem
& Affinem.*



Rgo igitur superas tandem post mille
dolores
Terrenæ vitæ, COMPATER, omne
malum?

Scilicet, ex Alto sic disponente Jehova,
Tormina Morbonæ jam superata jacent.
Amplius haut Te Tisiphone assurgentibus hydris
Terret: nec trino Cerberus ore nocet.
Gratulor hanc fortem, mutatâ sorte misella,
Qua licet æternum cœlica in Arce frui.
Aurea nos iterum conjunget Regia Olympi,
Et dabit amplexu colloquioq; frui.

ΑΥΤΟΓΡΑΦΙΑΣΙ ΣΕΡ.

CHR. FUNCCIUS,
Gymn. Gorl. R.

Ad

AD B. DN. CHRISTIANUM FRIDERICUM
SCULTETUM à Schollenstern/
Hæreditarium in Deutsch-Oßig/
Προσφώνησις.

Sic ergo verè vivere occipis, diu
Febri peruste querquerà?
Sic languidi ergo sarcinâ corpusculi
Postâ quiescis suaviter?
Quiescis, & nunc vividam verè occipis
Vitam in supernis vivere
Palatii. OTE beatum ter, quater,
Et amplius, cui contigit
Felicior morbidos catastrophe
Finire sic vitæ dies!
Nobis dolorum porriguntur pocula;
TU inebriaris Nectare.
Nobis minantur arma vah! horrentia;
Tu pace jugi perfruens
Et arma rides, & furores Damonis,
Et hostium molimina.
Quis ergo non gratetur impensè Tibi
Policis recepto sedibus:

*Ubi liber à molestiis quibuslibet
Tuus triumphat spiritus?*

Consolandi animo defestinata

à

M. ABRAHAMO VECHNERO.

Quis nescit, nautam fragili tentare carinâ
Oceanum, ventoq; levi committere vitam?
Non illum terret stridens Aquilone procella;
Non Notus ille ferus; non qui bacchatur ab ortu
Eurus, Erythræi maris, Indorumq; tyrannus.
Non metuit nimbos, tempestatesq; sonoras;
Non insultantis decumana volumina fluctus,
Qui nunc fideribus montes immittit aquarum,
Nunc imos Manes, & hiantem pandit Avernum.
Tantum spes hâeri valet in Mortalibus ægris:
Quæ simul affulsit, procul è tellure remota,
Non dubitat remex, mercisq; redemptor Eoæ
Per vada, per syrtes temeraria tendere vela,
Et per utramq; domum Solis sub fidere, nostris
Ignoto terris, peregrinos quærere mundos:
Unde domum redeat preciosâ merce beatus.
Dulcis odor quæstus avidorum suaviter adflat
Nares, & mortis vel mille pericla subire
Consuadet: quanquam nantes in gurgite vasto
Nau-

Naufragii Tabulæ apparent, & vera Charybdis
Occurrit passim, merces quæ sorbet opimas.
Quod si nauta vagus vitæ discrimina temnit
Vanas propter opes: fortis quas dextera præbet,
Læva rapit, spe jam mersò cum remige mersâ:
Cur homines, CHRISTI Ecclesiæ qui nave ve-
huntur,

Non dicam, crucis omnigenæ tolerare procellas;
Sed vitæ ipsius patier dispendia nolint
Immortales propter opes: quas dextera Jehovæ
Præbet ad ætherium provectis, morte beatâ,
Portum: ubi nulla mali datur evitanda Charybdis?
Hoc bene pensiculans secū SCULTETUS, in isthoc
Christiani Mundi pelago dum navita vixit,
Nec crucis omnigenæ renuit tolerare procellas;
Nec morbi patier decumanum in corpore fluctum:
Mortalis donec faceret dispendia vitæ.
Quâ fini? Æternas ut opes concederet ipsi,
Ætheris ad portum provecto, Gratia dia.
Felix, qui fragilis vitæ dispendia temnit
Mente piâ! In cœlis capit immortale brabeum.

MARTINUS RICHTERUS.

A 3

Ad

Ad piè defunctum DN. SCULTETUM
à Schollenstern.

ERgò confectus causo Tu deniq; mundum
Deseris, atq; petis stellata palatia cœli?
Hic ubi clarus Avus metitur conscia fati
Sidera, flammantesq; comas Hyperione nati.
Calculus argutum genuit Tibi sæpè dolorem:
Sed nunc ille dolor cessat, cessavit & astus.
Querquera flagra die Saturni filia quarto
Exercens, nunquam vexabit corporis artus
Ulterius: placidè corpus requiescit in urnâ.
Romani rapide Febri tria fana struebant:
Parceret ut tandem Romæ mortalibus agris.
Si strueret quisquam fanum tibi, Calcule: posthac
Ut releves agris sævi tormenta doloris:
Primum vel lapidem positurus protinùs essem:
Vel comportarem lapides; nisi nostra vetaret
Relligio, prorsus que damnat templa profana.
Salve, cœlesti qui nunc epularis in Ostro,
Perpetuò libas sacrataq; pocula JOVÆ:
Unde Tibi nullus generatur Calculus, ulla
Nec Febris. O iterum salve, SCULTETE, valeq;

Condolens scribebat
ANTONIUS Schmidt.

Beata

Beate defunctus loquitur.

Alea jacta fuit: Spes & Fortuna valete:
Quum nihil in terra constet, adibo polum:
Quo mea posta salus, quo Soter plenus amore
Ipse mei vivit. Quam bene! Vivo DEO.
C. M. C.

In ἔρανόφιλον.

Rure redi in patriam, patriæ dulcedine ductus:
E patriâ, in PATRIAM, crimine liber, abi!
M. S.

Christianus Friedericus Scultetus.

omisso s.

per Anagramma.

Cur? lenias: vicit: fert. Christus DEUS.

Cur nimium desles, ô Fœmina mœsta, Maritum?
Tu potius lenjas magnos in corde dolores.
Vir tuus, ô mulier, morbo nunc liber ab omni
Vicit jo! Fert in cœlis diademata vita:
Atq; DEUS verus, Christus, jam pascit in ævum
Hunc dulci ambrosiâ, recreat quoq; Nectare dulci.
* * *

Teutonici Ositii Dominus requiescit in isto
Busto, Scultetus. Sculteti funera lugent
Pignora, Caja, Socer, Affines atq; Sorores.
Sculteto Aligeri summos gratantur honores:
Pascit Scultetum Mannâ Salvator IESUS.
Tu, Scultete, novus clari nunc incola Cœli es.

ATo

*A Te Germanum Sculteto commoda miles
Osbitium accepit: tua laus nomenq; manebunt.*

THEOPHILUS VECHNERUS.

PLangite Nisiades: SCULTETUS funere merfus
Heu! propero, dicit voce gemente Vale.
Hinc ejus lugent obitum Socer, atq; Marita,
Adfines, soboles, subdita turba, boni:
Quippe Parente bono, Genero simul, atq; Marito,
Ac Adfine orbi, quid? Dominoq; bono.
Mittite sed lacrumas: Dominus, Gener atq; Maritus,
Cumq; Patre Adfinis *vivit* in arce Poli.

Condolens faciebat

GREGORIUS Schön.

Sonnet.

Du strafft zwar offters hart/ und schläget grosse Beilen/
Er wirfft uns auff ein Bett/ und greiffte mit langer Qual
Die schwachen Glieder an: Doch wenn das Thränens
Genug gebauet ist/ wil Er auch wieder heilen/ (Thal
Und mit der Gnaden- Hand zu unserm Elend eilen.
O seel'ge Seel / du zeigst mir heut ein Trauer- Mahl/
Drauff ich beschreiben sol den schrüden Jammer- Saal
Durch ein bethrantes Maß mit zweymahl sieben Beilen.
Dein Bohnhaus hat der Tod durch eines Fiebers Macht
Zerstört und umbgekehrt. Nun ist's nach vielen Plagen/
Die fast ein ganzes Jahr es willig hat getragen/
Zu dem gewünschten Ziel der sanfften Ruh gebracht.
Du aber/ Seele/ sich/ wie dich der Himmel ehret/
Und deinen letzten Wunsch genädigt hat erhört.

*Hiemit zielte auf die Worte des gemeinen Leichengesanges:
Laß die Engel mit mir fahren auf Elias Wagen roth/ ic.
als unter welchen der seel. Herr Scholtze verschied/*

Alexander Vogel/ Coll. IX.

11

Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1006931 8